

risque qui jurisdictionem habent competit, l. 2. §. ult. de judic. l. 131. §. 2. de verb. sign. Graviorem autem omnium animadversionem sive imperium quod dicitur meram praefectura urbis sibi vindicavit, d. l. 1. de off. praef. VINN. Missiones in possessionem bonorum in desuetudinem abierunt; sed & horum rextuum severitas ab usu recessit. Hodie adversus suspectos tutores summarie cognoscitur, nec diutius grassandi in re pupilli facultatem habeant. ADDIT.

TEXTUS.

Si suspectus satis offerat, & quis dicitur suspectus.

12. Novissime autem sciendum est eos qui fraudulenter tutelam administrant etiam si satis offerant removendos esse à tutela; quia satisfactio tutoris propositum malevolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari facultatem praestat. Suspectum etiam eum putamus qui moribus talis est ut suspectus sit. Enimvero tutor vel curator quamvis pauper sit, fidelis tamen & diligens removendus non est quasi suspectus.

L. I. tit. 18. Part. 6.

COMMENTARIUS.

[Tiam si satis offerat] De eo dictum sub §. 5. Inst. sup. hoc tit. Ut autem neque divitiarum neque satisfactio tutorem à suspitione liberant, ita nec ex adverso eum onerat paupertas. Nam etsi pauperi, qui se imparem oneri imposito docere possit, vacatio tribui solet, §. 6. tit. praed. aut qui propter ino-

piam satisfacere non potest removendus est, l. 2. C. de tut. qui sat. non ded. nunquam tamen paupertatis occasione suspectus postulari, eo-ve nomine moveri debet vir aliqui fidelis & diligens. Ex moribus enim non ex facultatibus suspectum argui convenit, l. 2. hoc tit. l. 5. C. ead. l. 31. §. 1. de reb. auct. jud. post. VINN. Pro coronide de decima jure Hispanico tutori praestanda quaedam admonere placuit; multum enim in hac parte tutela Hispanorum ab illa Romanorum differt. Cum enim in leg. 4. tit. 3. lib. 4. for. jud. & in leg. 2. tit. 7. lib. 3. for. legg. cautum sit ut tutor ratione curae ac laboris quem impendit decimam fructuum sibi assumat; neque tutela apud nos onus dici potest, neque excusatione adeo frequentes; & sexcenta hujus generis alia quae usus comprobavit. De decima jure Hispanico tutori praestanda scripsit Gaspar Baëza librum singularem, bonae frugis plenum à quo haec pauca mutuavi sumus.

Tutor ratione laborum decimam accipit; igitur etiam curator minoris, furiosus, & reliquorum omnium qui ipsi per se rebus suis superesse non possunt hoc jus habent. Testamentarius etiam decima hac de causa praestanda est, l. 4. tit. 7. lib. 5. Ord. quae est lex §. tit. 11. lib. 1. Recop. Non tamen ad depositarium, mandatarium &c. hoc decimae jus protrahemus, nulla juris auctoritate suffulti. Tutori cui parens legatum testamentum reliquit, decima non debetur, quod de executore testamenti expresse provisum est in leg. 30. tit. final. lib. 8. Ord. itemque ea carbit tutor qui ab administratione se abstinet, cum ratione laboris impendatur. Qui plura de his desideret, adat eundem Baëzam in opere nuper laudato. ADDIT.

Finis Libri Primi.

ARNOLDI VINNI J.C.
IN LIBRUM SECUNDUM
INSTITUTIONUM IMPERIALIUM
COMMENTARIUS
ACADEMICUS ET FORENSIS.

TITULUS I.

DE RERUM DIVISIONE, ET ADQUIRENDO IPSARUM DOMINIO.

Dig. lib. 1. tit. 8. Cod. lib. 41. tit. 1. Part. 3. tit. 28.

Ratio ordinis, & summa tractationis de jure rerum.

TEXTUS.

Continuatio & duplex rerum divisio.

Superiore libro de jure personarum exposuimus, modo videamus de rebus: quae vel in nostro patrimonio vel extra patrimonium nostrum habentur. Quaedam enim naturali jure communia sunt omnium, quaedam publica, quaedam universitatibus, quaedam nullius, pleraque singulorum, quae ex variis causis cuique adquiruntur, sicut ex subjectis apparbit.

L. 2. tit. 18. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1 An detur tertium genus rerum quae neque in bonis nostris neque extra bona sint.

Omnia hominum qualitate & differentia, expositoque eo jure quod cuique conditione personae suae competit, quod ex tribus circa quae jus omne versatur primum est: transit Imperator ad alterum atque huc proximum, res externas; ut, quod lex methodi exigit, eo ordine singula explicet quo ea proposita sunt §. ult. Inst. sup. de jur. nat. gent. Habet autem hic titulus duplicem inscriptionem, De rerum divisione; & de acquirendo ipsarum dominio. Nimirum quae duobus distinctis titulis in π^o tractata sunt, ea in unum huc reculit Justinianus. Et quia in rebus tantum cuiusque est quantum natura earum & conditio patitur: primo varie eas dividit, ut differentia earum cognita jus quod in iis habemus (qua consideratione rerum tractatio propria est Jurisconsulti) melius intelligatur. Deinde proponit & persequitur modos quibus res quae singulis acquiri possunt singulis adquirantur, initio facto à rebus dominii nostri aut similis in rem juris. Postremo tractat de obligationibus, idque demum tit. 14. lib. 3.

DE rebus] Quid rei appellatione, quae alioqui generalis est, hic significetur docet nos obsectorum juris distinctio: nempe quidquid est extra personam & actiones quod homini usui aut commodo esse possit, sive id divini juris sit sive humani, sive publici sive privati, sive corporale sive incorporale, sive dominium, aut

aut jus aliquid in rem à dominio diversum aut separatam, sive obligatio; nam & ea, ut res in bonis nostris, huc pertinet, quod pluribus ostendimus *sub tit. de obig. lib. 3.*

Vel in nostro patrimonio vel extra.] Patri- monio nomine proprie significari videtur ea pecunia quam liberi ex hereditate paterna accipiunt; ceterum consuetudine loquendi obtinuit ut eo verbo intelligantur omnia quae quisque patrefamilias habet. Igitur in patrimonio esse & in bonis esse idem valet.

1. Sunt quibus hæc divisio manca videtur, quasi constitui debeat & tertium genus rerum quæ neque in bonis nostris neque extra bona sunt; cujus generis res, auctore Paulo l. 1. de usufr. leg. s. ut servitute. Quo quidem ego nunquam quidquam audivi futilius. An non erit in bonis nostris ea res quæ bona nostra & patrimonium auget, l. 5. §. 9. de op. nov. nunt. quæ pro debito pignori mihi obligata esse juxta l. 12. de sign. quæ domi- no prædii dominantis magni sæpe consistit, & quam prædii servientis dominus magno velit redimere; cuius denique persequenda & ten- dendæ causa alique remedia jure profita sunt? l. 5. de acq. rer. dom. l. 49. de verb. sign. junct. §. 2. *Utr. inf. de att. l. 6. §. 1. & ut. si veri. vind. d. l. 5. §. 9. de op. nov. nunt. tit. ff. de itin. att. priv. & ag. quot. & est.* Cur igitur actione Pauliana revocantur ser- vitudes per fraudem non utendo antea, ll. 3. & 4. quæ in frud. cred. cum id ædificum ad eos tantum pertineat quæ patrimonium suum in fraudem creditorum deminuant? l. 6. eod.

Aut cur magis res ceteras incorporales in bonis esse dicimus quam servitudes? Veterum sane nemo esse cui hoc in mentem venerit ut diceret servitutum alicui constitutam & quesitam non esse in bonis ejus cui constituta & quesita sit; neque etiam Paulo, qui in d. l. 1. non disputat de jure aliquo alicui constituto, sed d. m. m. constituendo; cujus tamen disputatio posita est in metra subilitate. Legavit aliquid usum aut usufructum itineris per fundum suum, Negat Paulus id legatum subsistere, quia ratio juris non patitur ut servitus servituti constitatur; nec esse utile, addit, ex Senatusconsulto, quo cavetur ut omnium quæ in bonis sine usufructu legari possit; quia id jus cuius usus legatus proponitur in bonis testatoris non fuerit, hoc est, quia testator id jus formaliter & separatim (à proprie- tate) non habuerit, nam utique ut dominus jus habeat eundem in suo, poteratque id jus à dominio separare, à terique sub alia qualitate conce-

dere, aliam denique eo jure, servitute non constituta, uti volentem prohibere; unde forassis adjecti, nec esse extra bona. Tantum quia dominus, ut dixi, hujusmodi jus forma- le non habet, hoc est separatim à jure domi- nio titulo servituti, cum nemini res sua serviat, l. 5. si usuf. per. usus autem itineris tanquam juris separati & formalis legatus proponitur; negat IC. legatum esse usum rei quæ erant in bonis testatoris; quippe quæ non erant quidem eo quo dixi modo, sed causative tantum. Esse autem hanc disputationem de apicibus juris Paulus ipse facit, cum legatum aut hujusmodi usus constitutionem ad- mittendam censet beneficio cautionis à legatario præstandæ de restituenda post mortem suam aut capitis deminutionem servitute. VINN. Im- mo ita nonnumquam loquebantur Veteres de rebus incorporalibus, quæ & esse, & in domi- nio & in bonis esse negabant. Quia tamen animo intelligantur & utilitatem præstant, hinc nec extra bona sunt. Vid. vir. cl. Ger. Noode *proh. lib. 2. cap. 3. HEIN.*

Quædam enim naturali jure communia.] Non est nova hæc divisio, sed prioris illius expli- catio; quæ eo pertinet ut intelligamus, ea quæ singulorum sunt in patrimonio haberi; quæ communia, publica, universitatis, & maxime quæ divini juris sunt extra patrimonium esse. Aprior ad docendum nonnullis videtur divisio Caji l. 1. *hec tit.* qui sic distin- guit, ut dicat rerum alias esse divini juris, alias humani. Divini juris quæ sunt nullius in bonis esse, veluti res sacras, religiosas, sanctas. Res humani juris, aut publicas esse, quæ & ipsæ nullius in bonis sunt; aut appella- tiones rerum publicarum completentes quæ hic in communes, publicas, & universitatis distinguuntur. Hæc autem divisioni mox aliam subjicit, quod quædam res corporales sint, quædam incorporales; quæ à Justiniano demum traditur atque exponitur *tit. 109.* Apud Marcianum l. 2. *hec tit.* divisio proposita uno membro mutilata traditur, ut liquet ex ll. 4. & 5. eod. VINN. Marcianus in divisione sua non tam omisit res publicas, quam easdem communium nomine complexus est. Communes enim & publicæ sæpe pro iisdem habentur, l. 24. ff. de damn. inf. Unde non mutilata videtur l. 2. ff. *hec tit.* sed à Tribonianis in hoc S. paulo fusiis explicata. Vid. Ger. Noode *proh. l. 1. c. 7. HEIN.*

Quædam nullius.] Intelligit res divini juris, quibus hoc per excellentiam tribuitur ut di-

cantur nullius esse; quia ne usus quidem ea- rum promiscuus est, §. 7. *Inst. inf. hoc tit.*

Pieraque singulorum.] Hæc sunt quæ privata dicuntur, nimirum res omnes quæ vel in domi- nio nostro sunt aut quasi dominio, aliaque in rem jura à dominio separata, vel quæ ad- huc nobis præstanda sunt ex obligatione. Unde non male nonnulli totius hujus argumenti tra- ctationem ad duo potissimum capita referunt, quorum unum est de dominio, alterum de obligatione; domini appellacione jus omne quod in rem habemus completentes,

TEXTUS.

De aëre, aqua profluente, mari, li- tore, & ædificiis in litore positis.

1. Et quidem naturali jure communia sunt omnium hæc, aer, aqua profluens, mare & per hoc litora maris. Nemo igitur ad litus maris accedere prohibetur, dum tamen à villis & monumentis & ædificiis abstinere, quia non sunt juris gentium sicut est mare.

L. 3. tit. 18. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1. Rerum communium usum omnibus compete- re, barbaramque semper habitum quemquam mortalium eo usu prohibere.
2. Multum hæc res differre ab iis quæ nul- lius sunt communi usui non attributa.
3. Quatenus quid harum rerum occupari possit, tum quantum hæc occupatio occupanti tri- buat.
4. De dominio maris, quod nunc sibi plerique ad aliquod spatium & per vicinos sinus vindicant. Remissive.
5. Qui vestigia navigantium jure imponant.

Qui humani juris sunt non privata aut singulorum propria ea aut sunt omnium hominum communia, aut alicujus gen- tis sive populi que in specie publica, aut certe alicujus civitatis vel corporis quæ dicuntur universitatis. Communia sunt quæ à natura ad omnium usum prodita in nullius adhuc ditionem aut dominium pervenerunt: Ita generali vocabulo definiuntur à Neratio l. 24. de acq. rer. dom. Huc pertinet præci- pue aer & mare; quæ cum propter immen- sitatem, tum propter usum quem in commu- ne omnibus debent jure gentium divisa non

sunt, sed relicta in suo jure & esse privæ- vo ut ait Jo. Faber, adeoque nec dividi poterunt. Atque hoc est quod DD. nostri ajunt aërem & mare cum sint incomprehen- sibilis, nullius populi bonis potuisse appli- cari, Jo. Fab. §. *litium 5. inf. eod. Crot. lib. de mar. lib. c. 5.* Item aqua profluens, hoc est aqua jugis quæ vel ab imbribus collecta vel è venis terre scaturiens perpetuum fluxum agit flumenque aut rivum perennem facit. Postremo propter mare etiam litora maris, l.

1. §. 1. l. 4. *hoc tit. de div. rer. & qual.*

1. In hisce rebus duo sunt quæ jure na- turali omnibus competunt. Primum communis omnium est harum rerum usus ad quem na- tura comparatæ sunt; tum si quid earum re- rum per naturam occupari potest, id earum occupantis fit quatenus ea occupatione usus ille promiscuus non laeditur. De usu aëris constat, quippe sine quo ne vivere quidem aut respirare quisquam potest. Aqua profuens ad lavandum & potandum unicuique jure na- turali concessa. Maris usus jure gentium li- ber est, atque ad navigandum & piscandum ex æquo omnibus patet, l. 3. §. 1. ne quid in loc. pub. l. 13. §. ult. de injur. Maris naturam litora sequuntur; ac proinde ad li- tus maris cuius accedere licet, navem eo ap- pellere ac reficere, ejecta in tempestate nau- fragio ac reficere, ejecta in tempestate nau- fragio amissa ibi excipere & retia siccare, & casam in quam tantisper se recipiat pote- re, ll. 4. de div. rer. & §. 1. ff. de contr. em. l. 1. C. de naufr. dum tamen à villis ædificiis & mo- numentis in litore extructis abstinere, quia non sunt juris gentium, d. l. 4. de div. rer. Est vero harum rerum usus adeo liber & promiscuus, ut barbarus semper atque immane habitum sit vel exteræ gentes ab eo arceat. Quam- obrem merito de Pœnorum injuria sic querit Orator Hionens apud Virgilium, lib. 1. *divini operis v. 543. seqq.*

Quæd genus hoc hominum, quæve hæc tam bar- bara mores

Permittit patria? Hospitio prohibemur arene. Bella cienti, primaque ostant consistere terra.

Idemque apud eundem lib. 7. v. 229. his vo- cibus affatur Regem Latinum:

Litusque rogamus Innocuum, & cunctis undamque auramque patentem.

Denique Latona apud Nasorem 6. *metam.*

v. 349. sic alloquitur pueros Lyceos:
Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est.

Nec solem proprium natura, nec aera fecit,
Nec tenes undas; ad publica munera veni.

Dicit hæc non esse naturâ propria, sicut Ulp. l. 13. *comm. præd.* naturâ omnibus patere, quia à natura ad communem usum gentia sunt nec in ullius adhuc dominium pervenerunt. Cic. 1. *de offi. cap. 6.* Neratius l. 14. *de div. rer.* Hæc igitur sunt illa quæ Veteres vocant communia omnium jure naturali, aut quod idem est publica juris gentium, sicut & usum eorum modo communem modo publicum vocant, l. *pen. dist. tit. 1.2. §. 1. l. 4. ne quid in loc. pub. §. 5. Inst. inf. hoc tit. cum similib.*

2. Quamquam vero etiam ea nullius esse quod ad proprietatem attinet recte dicimus, multum tamen differunt ab his quæ nullius sunt communi usui non attributa, ut fera, pisces, aves: nam ista si quis occupet in jus proprium transire possunt; illa vero ceteris humanitatis consensu proprietati in perpetuum excepta sunt propter usum, qui cum sit omnium non magis omnibus ab uno eripi potest quam à te mihi quod meum est. Et hoc est quod Cicero dicit inter prima esse justitiæ munera rebus communibus pro communibus uti. Scholastici dicerent alia positive esse communia, alia negative. Thom. 1. 2. q. 94. art. 5. Cajetan. *tract. 17. quest. cap. 12.* Covar. *in cap. peccatum de reg. jur. in 6. part. 2. §. 8.* Intellexit hoc convivator apud Athenarum cum mare commune esse dicit pisces autem capientium fieri. Et in Plautina Rudente *act. 4. sc. 3. v. 36.* servo dicens: *Mare quidem commune certo est omnibus; assentit piscatori; addenti vero: In mari inventum est; commune est; recte occurrit: Meum quod rete atque hami nati sunt; meum potissimum est.*

3. Ceterum illa hic addenda interpretatio est, ut si quid harum rerum natura occupari possit, id eatenus occupantis fiat quantum ea occupatione usus publicus sive communis non impeditur. Quod merito receptum est: nam cum ita se res habet, cetera exceptio per quam fit ut in jus proprium non transeat. At occupari non potest nisi simul terra occupetur; sed neque mare, nisi forte exigua sui portione que in fundum privatum admittitur; quomodo accipiendi l. 14. *de injur.* aut edificando jactis in id pills aut molibus; quod cum fit, locus & edificium

ejus sunt qui edificavit, l. 2. §. 8. l. 3. §. 1. *ne quid in loc. pub. l. 50. §. ult. de div. rer.* In litore vacuum quisque locus occupare per naturam potest; eumque occupando etiam suam facit; ut & id quod in eo exstruxerit, l. 6. *pr. ff. de div. rer. l. 14. §. 50. de acq. rer. dom. l. 1. §. 18. de op. nov. nunt.* At enim qui locus ita in mari aut litore occupatur non simpliciter & absolute occupantis fit, sed dumtaxat interea dum occupat, dum edificium manet: nam edificio sublato locus in pristinam causam quasi jure postliminii revertitur, d. l. 6. *§. 1. d. l. 14. §. 1. l. 45. de usu cap.* Sed neque simpliciter hæc occupatio & edificatio concessa; verum, quod exigebat ipsa ratio juris gentium, cum hæc conditio si per eam publicus litore aut maris usus non fiat detur, d. l. 2. §. 8. l. 3. *§. 4. ne quid in loc. pub.* Neque jus gentium violari existimo si hinc arceant peregrini in litoribus que populus aliquis imperio sibi vindicat. Natura enim non ad hoc proprie litora produxit ut cuilibet semper & promiscue jus esset partem eorum occupare, sed ut necessario maris usui inserirent, qui esse navigatio; idque significari opinor verbis *per hoc*, que non frustra hic expressa sunt, & in l. 2. §. 1. *de div. rer.* ideoque est hic usus jure gentium semper communis manet & indivisus, sicut ipsius maris: jus tamen quod dixi in litore edificandi divinum jure gentium intelligi debet, quantum litora imperio divisa, & publica facta sunt alicujus populi, arg. d. l. 3. *ne quid in loc. pub.* Ita ferme Baro ad hunc §. *§. 4. l. 2. Don. 4. comm. 2. §. 9. Grot. 2. de jur. bell. & pac. cap. 3. n. 9.* Idem Faber & elegantior cap. 5. *mar. lib. Add. Ant. Fabr. in ration. ad l. 9. de leg. Rbod.*

4. Hodie Vesseti maris Adriaticæ, Baltici Rex Daniæ, magnæ Britannicæ Rex maris circumflui dominium sibi vendicant. Ceterum hoc late plerique damnant, imperium quidem in maris partem sive vicinios usurpari posse concedentes, sed sine jure proprietatis aut domini; tum quia natura mare commune esse jubet, non permittit tantum tum quia ne domini quidem capax est, resistens occupationi & possessioni, unde dominia rerum coeperunt, l. 1. §. 1. *de acq. poss.* D. Grot. d. cap. 5. *mar. lib. & d. cap. 3. n. 13. de jur. bell.* M. Anton. Peregrin. 8. *de jur. fic. n. 10.* Alb. Gentil. de acq. *mar. D. Tul. hic cap. 7.* Existimat tamen idem Grotius d. cap. 3. n. 10. non ob stare jus nature quo-

quominus portio maris inclusa litoribus ejus populi propria fiat ejus sunt litora, dum ea pars maris ad territorium comparati non major sit quam diviticulum maris comparatum ad magnitudinem fundi privati. Nuper vero Joannes Seldenus vir sane non vulgari eruditione præditus tractatum edidit inscriptum *Mare clausum sive De dominio maris*, in quo summa opo ostendere conatur mare ex jure nature seu gentium omnium hominum non esse commune, sed pariter domini privati seu proprietatis esse capax ac tellurem: cui paradoxo occurri poterit ex Grot. d. cap. 5. *mar. lib. §. 2. de jur. bell. cap. 2. n. 3.*

5. Illud constat, non facere contra jus nature aut gentium qui recepto in se onere tuende navigationis adversus piraticas excursiones, juvandaque per ignes nocturnos & brevium signa vespéral æquum imposuerit, quale fuit Romanum vespéral Erythræum de quo Strabo lib. 17. & quod in ponto Byzantini exigebant *Βυζαντινόν* (portorium) quodque jam olim Athenienses exegerant in ponto eodem, memorante utrumque Polybio. Grot. d. cap. 3. n. 14. adde Cæpoll. *de sero, præd. russ. cap. 26.*

TEXTUS.

De fluminibus & portibus.

2. *Flumina autem omnia & portus publica sunt; ideoque jus piscandi omnibus commune est in portu fluminibusque.*

L. 6. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1. *Quo tenu dicitur ius piscandi in flumine omnibus commune.*
2. *Non idem esse aquam profluentem quod flumen.*

Secundum genus rerum que privati juris non sunt publice in specie dicantur: que quantumvis & ipsæ in nullius dominium pervenerunt, imperio tamen divise sunt, & ditione ac potestate factæ alicujus populi. Ajo ditione ac potestate: nam que populi sunt patrimonio, ut metalla, salina, silvæ, agrivestigales &c. ea quidem etiam publica dicuntur propter personam possidentis, l. 17. *de verb. sign. l. 14. de acq. rer. dom.* sed quia usu & jure quo habentur privata sunt, l. 2. §. 4. *ne quid in loc. pub.* ad institutam disputa-

tionem non pertinent. Hujus generis sunt flumina, portus, alveus fluminis quædam à flumine occupatur, & ex parte ripæ.

Flumina omnia] Scilicet perennia: nam torrentia que hieme tantum fluunt astare solibus exsicantur publica non sunt, l. 1. §. 1. *de flum. ac ne flumina quidem proprie, ut recte D. Don. 4. comm. 3. contra Horum. 8. obi. 4.* Marcianus l. 4. §. 1. *ff. de div. rer.* caute addidit voculam *perenne*; nempe *dicere vis* *χρησίζης* (ob torrentes qui bieme fluunt). Et quidem que flumina per eandem regionem tantum labuntur unde originem ducunt, tota sunt illius regionis; que vero diversa imperia alluunt, per partes eorum gentium sunt per quarum ditiones profluunt in mare. Vini. Hinc si limites duarum provinciarum constituunt, communia habentur; adeoque & novæ insule in hujusmodi flumine nate, vel communes sunt, vel alterutrius provincie proprie, prout vel in medio flumine nate vel alterutri ripæ proprie sunt. Zegl. *de jure Majestat. lib. 2. cap. 15. HEN.*

Et portus] Portus est locus in mari aut flumine conclusus ac munitus, quo importantur & unde exportantur merces: qua appellatio tamen continetur & statio, que est locus accommodatus ad naves recipiendas ut tunc illic stare possint adversus injuriam prædonum ac tempestatum, l. 59. *de verb. sign. l. 6. §. 13. de flum.* Veteribus proprie portus insularum notat, sive edificium legitimo spatio atque ambitu à contiguis divisiis mercium importandarum & conservandarum causa; & per syndecochen quævis insulam sive domum que proprio ambitu constat, ut in illo XII. tabb. *Cui testimonium defurris, si testis dicitur ab portum obvagatum um ito.* Vid. Fest. in vocibus *portus & insula.* Cujac. *Biech. Goid. ad d. l. 59. de verb. sign.*

1. *Jus piscandi omnibus commune*] Usus fluminis publicus est jure gentium, §. 4. *Inst. inf. hoc tit. l. 4. de div. rer.* ac proinde unicuique licet in flumine publico navigare & piscari, l. 1. *ut in flum. pub.* Idem usus est & portuum, ut hoc loco & d. l. 4. *Ait omnibus commune est, nempe omnibus his qui sunt ex populo cujus fines flumen alluit, & quantumvis alluit; ut in hoc distret hic usus ab eorum rerum usa que publicæ sunt communes sunt, id quod ex precedentibus satis colligi potest; neque est quisquam qui dubitet quin usu navigandi aut piscandi in flumine exteri prohiberi possint.*

2. *Notandum autem est discrimen fluminis &*

& aquæ fluentis, unde usus utriusque nascitur diversitas. Flumen est totum quid, unumque & idem corpus quod mille abhinc annis fuit, arg. l. 76. de public. denique sub imperio eorum est quorum finibus continetur. At aqua fluminis numero eadem non est sed alia acque alia; & cum in perpetuo cursa sit, non que magis loco contineri aut cuiusquam potestati subijci potest quam aer & mare quantum de medio cursu nihil de ea sumseris. Hinc de usu iudicandum. Flumine integro utimur ad navigandum & piscandum; qui usus iure gentium divisus est quatenus flumina ipsa imperio divisa sunt; ac proinde non communis est omnium hominum, sed publicus eorum dumtaxat quorum finibus continetur. Aqua vero fluminis utimur ad lavandum, potandum, & aquanda pecora: qui usus communis est iure naturali omnibus concessus; add. Jo. Fab. Baron. ad hunc loc. Don. a. comm. 3. De iure ædificandi in portu aut flumine nulla hic mentio. Et in portu quidem vix est ut sine incommodo navigantium ædificari possit; in flumine autem publice cuiuslibet licet ædificari & destruere, dum tamen hoc sine incommodo cuiusquam fiat, l. 24. de damn. inf. l. 1. §. 12. & 19. de flum. Quo argumento adducor ut credam etiam ædificatum fieri ædificantis, perinde ut ædificata in litore aut vicino litosisbus mari ædificantur sunt.

TEXTUS.

Definitio litoris.

3. Est autem litus maris, quatenus hibernus fluctus maximus excurrit.

L. 4. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

Hoc §. & 2. seqq. quædam diligentius explicat quorum usus vel communis est vel publicus. Aquæ ut intelligamus quatenus litore uti omnibus liceat, quod sit litus primum definiendum putavit. Ait litus esse quatenus hibernus fluctus maximus excurrit, quomodo & Celsus definit l. 96. & Javolenus l. 112. de verb. sign. & jam olim ante eos definitur Aquilius, teste Cic. in Topic. cap. 7. quam definitionem & ipse Cicero post aliquam fortassis arbitri sumtus secutus est; non enim primus hoc constituit, ut plerosque credidisse Celsus refert. Ait hibernus, quia hie-

me maxime mare exstruat. Igitur litus est, quatenus fluctus maris eludit, & aquæ hoc commune est omnium sicut & mare; sicut vero litus, sive ora terræ quæ æstium marinorum accessu non occupatur, populi regionis est.

TEXTUS.

De usu & proprietate riparum.

4. Riparum quoque usus publicus est iure gentium, sicut ipsius fluminis. Itaque navis ad eas appellere, funes arboribus ibi maris religere, onus aliquod in his reponere cuiuslibet liberum est, sicut per ipsam flumen navigare; sed proprietates earum illarum est quorum præditi habent; qua de causa arbores quoque in eisdem natura eorumdem sunt.

LL. 6. & 7. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1 Non ut litora maris, ita ripas conditionem fluminis sequi.

Ripa est id quod flumen continet naturaliter cursu sui rigorem tenens. Ita definitur ab Ulp. l. 1. §. 5. de flum. Ait cursum naturalem, ne quis putet si quando flumen imbribus vel nivibus auctum excreverit ripas idcirco mutare. Paulus ait, ripam esse quæ plenissimum flumen continet, l. 3. §. 1. d. tit. ut significet partem ripæ non esse spatium illud ripæ proximum quod aliquando flumine caloribus minuto æstivo tempore non occupatur. Apparet autem ex sequentibus ripam non tam angustam, ut nonnulli faciunt, accipiendam esse pro credipine aut labro amnis, sive pro sola extremitate alvei & terræ qua flumen continet, cuius extremitatis vix est ut illus sit usus; sed aliquanto laxius pro spatio inter flumen & vicina prædia interjecto, ut ripa incipere intelligatur ex quo à plano ad flumen vergit, d. l. 3. §. 1. de flum. quod & Pacius observavit in analysi sua.

Usus publicus est iure gentium] Usus riparum ita publicus est, ut fluminis. Quinimo ripæ usus nihil aliud est quam ipsius fluminis, cum per ripam flumine utamur. Ideoque quæcumque sunt interdicta ad tuendum usum publicum fluminis, eadem sunt & conjunctim ad tuendum usum riparum, l. 1. & passim tit. de flum. & tit. ne quid in flum. publ. Ait iure gentium; quasi dicat hunc usum ac-

arque hanc servitutum ripis à natura impostam esse, ut omnibus quibus flumine uti iure gentium licet, etiam ripis ad eum usum uti liceat, cum nec flumine aliter uti commode possint.

Proprietates illorum est quorum præditi habent] Hoc etiam dicitur ait Cajus l. 5. de div. rer. itemque Pomponius ex sententia Celsi, l. 30. §. 1. de adq. rer. dom. Unde Neratius scribit, eum qui in ripa fluminis ædificat suum non facere, l. 15. eod. Quapropter quod Paulus ait ripas fluminum publicas esse, l. 3. de flum. de usu non de proprietate accipi debet. Nec enim audiendus est D. Hotom. qui Paulum à ceteris, & recte dissensisse putat. Nam quod ait, eodem iure partes fluminis singulas censeri debere quo totum flumen, quod ita publicum esse constat ut nec proprietate cuiusquam sit: error est παρὰ τὴν ἀγνοίαν τῆς ἐπιπέδου, (preter argumenti sive hypothesis ignorantiam), siquidem ripa pars fluminis non est, non magis quam continens contenti.

1. Neque vero idem est ripa in flumine quod litus in mari. Ripa flumini non subijcitur ut litora subijciuntur mari, & quotidianis accessibus ab eo occupantur. At, inquit, cuius juris est alveus ejusdem & ripas esse: necesse est & certum autem est alveum proprietate nullius esse, l. 1. §. 7. de flum. l. 7. §. 5. de adq. rer. dom. At, inquam, ut diversa sit alvei & riparum conditio flumen facit, quod alveum occupat ripas non item. Quid quod nec alveus simpliciter publicus est, ne tunc quidem cum adhuc à flumine tenetur; sed quatenus flumen non obstat adhuc pars censetur vicinorum agrorum; alioqui quo iure insula manente adhuc alveo in flumine nata vicinorum heret? quod utique & ripæ proprietatem arguit vicinorum esse, qua de re amplius sub §. 22. & seq. inf. eod. Recte igitur Græci, Basil. 46. tit. 3. τὰς ἐπιπέδους τὰς ἐν τοῖς ποταμοῖς & λίαν δεσποῦντα, ἀλλὰ τὸ ἕξιόν (Riparum fluminum non proprietatem sed usus publicus est.) publica τῶν &c.

TEXTUS.

De usu & proprietate litorum.

5. Litorum quoque usus publicus est & iuris gentium, sicut & ipsius maris; & ob id cuiuslibet liberum est carum ibi ponere in quam se recipiat, sicut retia siccare, & ex mari decedere. Proprietates autem eorum potest intelligi nullas esse; sed ejusdem juris esse cuius & ma-

re, & que subjacet mari terra vel arena.

L. 4. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

DE litorum usu & proprietate jam intellectum est; ceterum unum adhuc notandum quod usum litorum dicit esse publicum & iuris gentium, ut intelligas usum litorum publicum esse eo iure quod commune est omnibus gentibus, quo scilicet significatu mare juris gentium esse dicit Marcianus l. 4. ff. de div. rer. & qual. & Justinian. §. 1. Inst. sup. hoc tit. atque in hoc differre ab usu riparum, qui publicus quidem est iure gentium, sed non juris gentium: hoc est, non communis omnium hominum, sed eorum dumtaxat quibus eo flumine uti iure gentium licet, cuius usus exteris communicationem non habere antea demonstratum est. Eadem fere & Eguinari Baronis, & Julii Pacii sententia est.

Ejusdem juris cuius & mare] Mare litora aliis usibus eripiendo sua fecit. Nam, ut ante quoque dictum est, litora mari subijciuntur & quotidie ab eo occupantur. Occupatum autem jus & conditionem occupantis sequi necesse est, l. pen. de div. rer. VINN. Adeo communia Romanis videbantur, litora, ut fere cuiuslibet liceret non solum casus ibi ponere in quas se reciperet, ut est in hoc §. 5. sed & palatia volupratis causa extruere. Et eo pertinent illa Horatii lib. 1. ode 11. Quæ quidem nunc oppositis debilitat pumicibus mare. Quæ verba egregie illustrantur dans l'histoire de l'Academie Royale des Inscriptions & Belles Lettres. Tom. 2. p. 333. HEN.

TEXTUS.

De rebus universitatis.

6. Universitatis sunt, non singulorum, quæ in civitatibus sunt theatra, stradia, & his similia; & si quæ alia sunt communia civitatum.

L. 9. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

Quæ hic & apud Gajum l. 6. §. 2. de div. rer. dicitur universitatis, alibi etiam publica generali nomine appellantur, ut in l. 6. de contr. emt. §. 2. Inst. inf. de inst. stip. §. ult. inf. de emt. & vend. nimirum quia in pu-

publico civium usu habeatur. Ea igitur que in pecunia aut patrimonio civitatis sunt, quorum usus singulorum non est, huc non pertinent, quamvis & ipsa collata cum iis que propria sunt singulorum publica quoque dicantur, l. 7. §. 1. quod cuiusque univ. nom. l. 15. §. seq. de verb. sign. Universitatis autem appellatio latior est quam civitatis; nam & collegia & societates alioquodmodi corpora continent, quibus permissum est ad exemplum Reipub. habere res communes, ac cum communem, &c. l. 1. quod cuiusque univ. VINN. Recte distinguuntur res universitatis & patrimonium civitatis. Horum enim usus non est singulorum, adeoque nec obligationes circa illa tam adf. ut passiv. Eo pertinet l. 7. §. 1. ff. quod cuiusque univ. nom. HEN.

Si que alia communia civitatum] Ut basilicæ, porticus, balneæ, fora, prata & pascua publica, in que scilicet pecudes immittere singulis civibus jus est; item si que collegii alicujus aut societatis communia sunt, veluti pergule, ambulacra, exedre, peristylia, insule, stabula, &c. Communis autem harum rerum usus non latius patet, quam ut publicis sit eorum qui sunt ejusdem civitatis aut corporis. Hoc enim & superioribus omnino consequens est, & cum instituto convinit ejus qui ea publicavit; si alii utantur, id permissu civitatis fit. Nemo sane dixerit usum pascurum publicorum ad liberum esse ut etiam non cives jus pascenti habeant. Ad hunc autem usum tuendum prodita est contra prohibentes actio injuriarum, l. 15. in fin. de injur. Pertinet hac illud M. Tullii §. de finib. cap. 10. Theatrum commune cum sit, recte tamen dici posse ejus esse eum locum quem quisque occupavit.

T E X T U S.

De rebus nullius.

7. Nullius autem sunt res sacre, & religiose & sanctæ; quod enim divini juris est id nullius in bonis est.

L. 12. tit. 28. Part. 3.

C O M M E N T A R I U S.

Q Uæ res divini juris sunt per excellentiam dicuntur nullius esse, scilicet ex comparatione earum rerum que cum &

ipse nullius sint, usu tamen sunt singulorum, aut ita affectæ ut in dominium singulis cedere possint. Etenim & que humani juris sunt publica omnia que non in pecunia populi sed in usu publico habeantur, comp-rata cum iis que singulorum sunt nullius in bonis esse dicuntur, l. 1. de div. rer. l. 6. de contr. emt. At in rebus divini juris hoc amplius est, quod ne usus quidem earum singulorum est. Feræ quoque bestiæ, volucres, pisces &c. nullius sunt si comparentur cum iis que quisque jam actu habet ac possidet; at ea conditione sunt & natura ut acquiri possint & cedant occupanti, §. 12. Inst. inf. hoc tit. quod secus est in rebus divini juris. Etiam inter ea que nullius sunt Gajus d. l. 1. numerat res hereditarias nondum adita hereditate; que tamen effectu juris omni ex parte privatæ sunt, & hereditatis esse finguntur que tantisper personæ vicem sustinet, ll. 34. & 61. de acq. rer. dom. Res igitur divini juris sunt que hominum potestati & promissio usui exterae quodammodo in solius Dei jure ac potestate habentur; quarum tres species hic proponuntur, sacre, religiose, sanctæ: quas singulas singulis §§. deinceps expositurus est.

T E X T U S.

De rebus sacris.

8. Sacre res sunt que rite per Pontifices Deo consecratae sunt; veluti aedes sacre, & donaria que rite ad ministerium Dei dedicatae sunt: que etiam per nostram constitutionem alienari & obligari prohibuimus, excepta causa redemptionis captivorum. Si quis autem auctoritate sua quasi sacrum sibi constituerit, sacrum non est sed profanum. Locum autem in quo aedes sacre sunt edificatae, etiam diruto edificio sacre adhuc manet, ut & Papiannus scripsit.

LL. 12. & 13. tit. 28. Part. 3.

C O M M E N T A R I U S.

1 Personam consecrantis qualem esse oporteat.
2 Donaria que Latinis dicta.
3 Sacra privata à publicis non forma consecrandi, sed sine distincta.
4 Profanum Veteribus quid, & unde dictum.

R Erum divini juris diximus esse tria generata; eaque ut res, ita etiam nominibus apud nostros distincta sunt: que distinctio etiam

etiam in schedis Fesci reperitur. Alia est apud Macrobius 3. Saturn. 3. Plerique autem his nominibus indiscriminate utuntur. Ait res sacras esse que rite per Pontifices Deo consecratae sunt. Que definitio duo maxime complectitur, formam consecrandi, & personam consecrantis. Formam indicat particula rite, id est solemniter, more & instituto majorum, publice non privatim, l. 6. §. 3. l. 9. pr. de div. rer. & qual. Gall. Ælius apud Fest. in voce Sacer. Ovid. 1. Fastor. v. 610.

Templa sacerdotum rite dicata manu. De ritu veteri consecrandi vid. Alex. ab Alex. 6. gen. dier. 14. Connan. 3. comm.

1 Personam consecrantis oportet rebus sacris præesse: quales apud Romanos erant Pontifices, ita dicti à ponte sublicio, quem quod sacer asstimaret, in aliqua parte labantem solis Pontificibus reficere licebat, casa victimæ & sacrificio perficito. Reliquorum quoque sacrorum omnium curam atque potestatem penes collegium Pontificum fuisse constat; de quorum officio accurate scribit idem Alex. ab Alex. 2. genial. 8. Quid Principes? Etiam eos curam sacrorum & religionum sibi sunnisse, eum apud alios auctiores tum apud nostros legitur, ut in l. 8. de rel. & sumt. fun. l. ult. ut in poss. leg. & nominatim jus dedicandi seu consecrandi in d. l. 9. de div. rer. An quia & ipsi plerumque Pontifices? Id sane restatur Historia; & Dio lib. 53. expresse scribit, Principes inter alios titulos etiam Pontificis Maximi dignitatem assumisse, ut omnes religiones & sacrificia in sua haberent manu. An vero hoc ideo dicitur quia, ut nonnulli volunt, sicut olim per legem Papirianam non licebat rem ullam injussu plebis consecrare, teste Cic. pro dom. ita postea non licuit injussu Principis; ut Pontifex quidem consecraret & solemnia perageret sed jussu & auctoritate Principis præcedente, maxime si locus publicus consecrandus foret, argum. d. l. 9. Principes Christiani curam sacrorum Episcopis demandarunt, aliosque ritus atque caeremonias sublati gentilibus substituerunt, que in dedicandis monasteriis, Ecclesiis, domibus orationum observarent. Vid. Nov. 67. & Nov. 131. cap. 7. Luculentum dedicationis templi extat exemplum lib. 3. Reg. à cap. 5. ad 9.

2 Donaria] Non solum ædis aut locus consecrari possunt, sed res etiam mobiles, ut ex memorato Galli Ælii apud Festum loco apparet; & hic significat Justinianus verbo donaria; quo cum mobilia intelligere, puta ves-

tes ἱερὰ ὄναρα (vasa sacra), aliaque utensilia divinis usibus dicata atque consecrata ostendit, l. 21. C. de sacros. Eccles. Neque hoc contra usum Latinorum Scriptorum. Nam que Græci ἀνθήναρα appellant, ab ἀνάθηνα (suspendere) quod dicata Diis suspendebantur è tholis, columnis aut parietibus templi; ea Latini donaria dixerunt. Apud Macrobius 3. 11. legitur: Ornamenta sunt clypei, corona, & hujusmodi donaria. Virgilius pro locis acceptis in quibus dona oblata reponuntur, lib. 3. Georg. v. 535.

..... Et uris
Imparibus ductis alta ad donaria curras.
Eamque propriam esse hujus verbi significacionem notat Servius, cui suffragatur Cornelius Fronto: Donum, inquit, quod Diis datur; inde ubi dona ponuntur donarium appellatur.

Excepta causa redemptionis captivorum] Item pauperum alendorum tempore fanis si alii premantur ut vita eorum succurrendum sit, dist. l. 21. C. de sacros. Eccles. debitorum quoque Ecclesiæ causa; si creditores urgeant nec aliunde debitum exsolvi possit, aut. præterea C. de sacros. Eccles. Nov. 120. cap. 10. & 12. quær. 2. Bona ecclesiastica huc non pertinent; quippe quæ humanis usibus serviunt, alendis scilicet Ministris verbi aut pauperibus; quamvis & ipsa causis quibusdam exceptis prohibeantur alienari, Nov. 7. add. Schneid. bic. Gudelin. lib. 6. de jur. nov. cap. 13. & 14. Gloss. in cap. semel π. de rig. jur. in 6.

3 Si quis auctoritate sua] Id est non publice sed privatim, l. 6. §. 3. de div. rer. Quæsierit aliquis, cum Romanis nihil sacrum fuerit nisi quod publice consecratum, quifiat quod nihilominus eos sacra habuisse privata legitur? Cic. 3. de legib. l. 1. de ris. rupt. l. 9. §. 1. ad leg. Jul. pec. l. 4. C. de crim. exp. her. Resp. Distinctio illa non à forma dedicandi aut personis dedicantium, sed à fine sumpta est: quod privata pro salute familia; publica pro populo consecrabantur. Vid. Rosin. 8. Antiq. tit. 6. Potuit sane quisque privatim suæ religionis causa aliquid Deo dedicare, quod pro sacro ipse haberet; verum id Pontifices Romani non asstimabant sacrum, ac proinde nulla obstringebat religione successores: quod ex eodem Gallo Ælio apud Festum discere possumus, & ex M. Tullio lib. 12. epist. ad Attic. epist. 29. 34. & 35. VINN. Accurate distinguenda sacra privata Larium & Penarium, que & gentilia; & sacra privata auctoritate constituta. Illa legitima erant, ob legem xii. tabb. sacra privata perpetuo man-

mento. Fest. voce *sacra*; hæc illegitima ob periculum ne *sacra peregrina* invehentur. Cl. Bynkersh. *de re leg. peregr. dist. 2.* Illa erant juris Pontificum, & aque exinde est quod Pontificum auctoritas intercederet in adrogationibus, consecrationibus &c. hæc *sacra* non æstimabant Pontifices. Si ergo privata auctoritate sibi quis sacrum consecrasset, quasi consecratum censebatur dum ad religionem patriam pertinere. Et eo referenda loca Ciceronis *lib. 12. de Attic. epist. 19. 34. & 35.* Sin religionem peregrinam saperet profanum censebatur. Bynkersh. *ibid.* HEIN.

4. Profanum] Varro *5. de ling. fana* ait nominata esse, quod Pontifices in sacrandofaciunt sunt *fana*; inde profanum quod est ante fanum, id est conjunctum fano. Trebatius profanum id proprie dici existimat quod ex sacro vel religio in promiscuum hominum usum convertitur est. Macrobius autem *lib. 3. Saturn.* scribit, profanum omnes pene consentire id esse, quod extra fanaticam causam sit, quasi porro à fano & religione secretum. Ut est, constat nostros res profanas sacris & religionis opponere solere.

Adhuc sacer manet] Ideoque venire non potest, *l. 73. de contr. emt.* Trajanus ad Plin. *lib. 10. epist. 76.* Si *edis sacra Claudii collapsa sit, religio ejus occupavit locum.* Plane quæ loca ab hostibus capta sunt sacra esse desinunt; at ea calamitate liberata quasi possessionio pristinum statum recipiunt, *l. 36. de religio.*

TEXTUS.

De religiosis.

9. Religiosum locum unusquisque sua voluntate facit dum mortuum inferat in locum suum. In communem autem locum purum invito socio inferre non licet; in commune vero sepulchrum etiam invitis ceteris licet inferre. Item si alienus usufructus est, proprietarium placet nisi consentiente usufructuario locum religiosum non facere. In alienum locum consentiente domino licet inferre; & licet postea ratum non habuerit quam illatus est mortuus, tamen locus religiosus fit.

L. 14. tit. 18. Part. 3.

COMMENTARIUS.

x Antiquos privata sepulchra habuisse extra urbem in agris; hodie autem fere in urbe mor-

1. tuos sepeliri in locis publice ad eam rem destinatis.
2. Cenotaphium seu tumulum inanem religiosum non esse.
3. Ut locus religiosus fiat necesse esse ut is qui mortuum inferat sit pleno jure dominus loci & quaedam consecratoria inde deducatur.
4. Verba hujus §. potissima tam commodum sententiam habere quam lesionem Codicis Flor. in π.

Religiosum] Generali hujus verbi appellatione etiam sacra contineri arguit notatio vocis religio; sive à relegendo cum deducas cum Cic. *2. de natur. Deor.* sive cum Sev. Sulpicio, ut auctor est Macrobius. *3. Saturn.* à relinquendo; sive à religando cum Lactantio *4. Instir.* 28. At hic & passim in libris nostris strictius accipitur, & locum notat ubi mortuus sepultus aut humatus est; quo significatur & Fesum Pompejum auctorum habere.

Unusquisque sua voluntate] Ad differentiam sacri. Locus sacer non fit nisi publice per Pontificem sacretur; religiosus fit propria cujusque voluntate cadaver aut ossa inferentis in locum suum.

1. Notandum hic in transcurso antiquos privata sepulchra habuisse extra urbem in agris, nam in urbe mortuos sepelire lege vetitum erat. Cic. *2. de legib. cap. 23. l. 3. §. 5. de sepulch. viol.* idque aliis etiam populis in more positum fuit; qua de re consule Petr. Greg. *lib. 33. Synagoga. cap. 33.* Quæ quisque sibi & familie suæ sepulchra consecrabit familiaria dicebantur; quæ sibi & hereditibus suis, vel quæ paterfam. jure hereditario acquisierat, hereditaria; *ll. 5. & 6. in pr. de rel. & sumpt. fur. Vinn.* Hodie autem, ut notum est, locis publicis ad sepulchrum utitur ab Episcopo sepeliendis mortuis destinatis, *l. 4. tit. 13. Part. 1.* item cæmeteriis, aut ipsis etiam Ecclesiis in quibus privatum sepulchrum habere jam usu inditum est, quod & hereditibus relinqui potest. Antiquus consuetum fuerat ut sepulchra extra urbes & oppida essent publice valedudinis causa. De sepulchrorum apud Hispanos jure adesit *dist. tit. 13. Part. 1. ADDIT.*

Dum mortuum inferat in locum suum] His verbis docemur duo esse necessaria ut locus fiat religiosus: ut in eum mortuus inferatur; ut inferatur à domino loci. Primo non consecratione aut verbis solemnibus locus religiosus efficitur, sed illatione mortui; unde

se-

DE RERUM DIVISIONE, ET ADQUIR. IPSARUM &c. 169

sepulchrum ab Alp. definitur, ubi corpus ossave hominis condita sunt, *l. 2. §. 5. de relig.* Ac ne totus quidem locus qui sepulchrum destinatus est corpore condito religiosus fit, sed quatenus conditum aut humatum est, *d. §. 5.*

2. Ex quo efficitur quod Divi Fratres rescriberant, mausolum inane, sive monumentum purum memorie tantum causa factum, quod Græci *κεκοσμημένον*, & uno verbo *κεκοσμημένον* appellat, Suetonius autem *cap. 1. in Claud. tumulum honorarium*, religiosum non esse, *l. 7. de divo. rer. l. 6. in fin. l. 24. de relig.* licet contra senserit Marcianus motus auctoritate Virgilii, ut ipse ait *l. 6. in fin. de divo. rer.* nec dubium quin isi Poëta versibus, quos ex *lib. 3. Æneid. v. 101.* citat D. Gothofr. ubi de Andromache hæc ait *Æneas:*

..... Manisque vocabat
Hæstorum ad tumulum, viridi quem cespitem
inænem,

Et geminas, cautam lacrimis sacra verat arat. Similis locus est ejusdem Poëtae *lib. 6. v. 150.* ubi sit ad Delphum idem heros:

Tunc egomet tumulum Rhæto in litore inanem
Constituit, & magna Manes ter voce vocavi.
Denique si ossa hominis aut corpus conditum dumtaxat loco religionem afferunt, consequens est ossibus aut reliquiis effosis & translatis locum religiose solvi, *l. 44. §. 1. de relig.* quamquam effodere vel eruere non licet sine decreto Pontificum aut jussu Principis, *l. 8. eod.*

3. Alterum quod ad locum religiose obstringendum necessarium esse diximus est ut is mortuum inferat qui est loci dominus; neque sufficit pro parte indivisa dominum esse, aut nudam loci proprietatem habere, sed necesse est ut is qui inferat dominus sit in solidum & pleno jure. Hinc deducuntur hæc consecratoria. 1. Neminius esse inferre in locum qui in totum alienus sit, utique invito loci domino; nam consentiente eo inferre licet, & locus hac illatione religiosus fit, *hoc §. in fin. l. 6. §. 4. de divo. rer. & qual. 11.* Non licere inferre in locum communem purum invito socio, hoc item *text. & l. 6. §. 6. comm. divo. l. 2. §. 1. in fin. de relig.* quod tamen sic temperat Callistratus, ut aliquis ex sociis in communi loco etiam sine consensu ceterorum sepeliri possit, si non sit alius locus ubi commode sepeliatur, *l. 41. de tit. De loco puro* Jurisconsultos loqui apparet, nam in communi sepulchro quin unus ex sociis etiam obitibus ceteris sepeliri possit nulla dubitatio

Tom. I.

est: quippe cum ad hunc ipsum usum is locus comparatus sit, *d. l. 6. §. pen. de divo. rer. l. 6. §. 6. comm. divo. & hoc text. 111.* Non posse proprietarium invito usufructuario inferre, aut locum religiosum facere, ut hoc item *§. 1. l. 2. §. 7. de relig. l. 17. de usufr.* Quorum omnium hæc ratio est, ne domini, socii, usufructuarii condicio sine facto eorum deterior fiat re commercio exrema. Plane si proprietatis dominus testatorem intulerit qui usufructum legavit, cum in alium locum inferri tam opportune non posset, placet locum religiosum fieri, *d. l. 17. de usufr. d. l. 2. §. 7. de relig. iv.* Postremo quod proprietario non licet invito eo qui usufructum habet, id multo minus hic licere debere non concedente proprietario, *d. l. 2. §. 1. & 7. Vinn.* Paucis noto non semper verum esse quod *n. 1. ad hunc §.* notat Vinnius, locum factum religiosum non nisi quatenus corpus conditum aut humatum est. Plerumque enim religio occupabat certum spatium in fronte & in agrum potestatem. Unde sæpe in marmoribus legitur: IN. FR. P. X. IN. AGR. P. XX. Conf. Horat. *Serm. lib. 1. Satyr. 8. v. 12.* Unde & illud spatium maceris includi consueverat, Barn. Brisson. *Antiq. lib. 3. cap. 15. & 16.* Sensus ergo *l. 2. §. 5. ff. de religio.* est, non totum agrum ubi conditum cadaver religiosum fieri, sed locum tantum qui sepulchro destinatus & certo spatio finitus sit. Interpretationem hanc ipsa necessitas defendit. Alas enim apud Romanos, qui fere corpora cremabant, urna vix minimam agri partem religiosam reddidisset. HEIN.

Locum purum] Id est, qui humani juris est, alienus, profanum, *d. l. 2. §. 4. parum eod. tit. de relig.* Aliquando opponitur adificatio, ut in *l. ult. in pr. de pign. aff.* Varro quoque *lib. 5. de ling.* scribit, pura loca appellari areas in urbe.

4. Licet postea ratum non habuerit] Ita vulgo hic legitur & apud Marcianum *d. l. 6. §. 4. de divo. rer.* unde hæc transcripta sunt. Neque incommodum sensum habet hæc lectio; sufficit enim ab initio consensisse, cum quod semel placuit postea displicere non possit, *cap. quod semel de reg. jur. in 6. l. 73. ff. eod. l. 5. C. de obi. & aff.* In π. autem Florentinis affirmative hic locus legitur, licet postea ratum habuerit; nec minus recte, ut sic sensus licet locus alienus in quem sine consensu domini mortuus illatus est ab initio religiosus non sit, tamen si is postea consensit loco religiosum fieri: quod hæc sit natura ra-

Y

ti-

titubationis ut mandato comparetur, l. 60. de reg. jur. cap. ratihabitionem. eod. in 6. Ceterum ut hoc quoque obiter addam, etsi illatione mortui in alienum locum locus non efficitur religiosus: non licet tamen domino propria auctoritate ossa illata aut corpus tollere, l. 8. de relig. sed acta et in factum datur, per quam is qui intulit aut tollere id quod intulit aut loci pretium præstare cogitur, l. 7. d. tit. Pretio autem præstatio non est dubitandum quin locus religiosus fiat. Vixit Lectio Florentina nihil sanius esse potest. Qui enim dici possit dominum factum non ratum habere in quod initio consensit Unde & in hoc §. legendum licet potest ratum habuerit. Nam ita & Theophilus legit, dum scripsit: Sed & si quis initio vel invito domino intulerit, & id ille cum rescisset ratum habuerit, jus & ita locus religiosus. Hænt.

TEXTUS.

De rebus sanctis.

10. Sancta quoque res, veluti muri & portæ civitatis, quodammodo divini juris sunt & ideo nullius in bonis sunt. Ideo autem muros sanctos dicimus, quia poena capituli constituta est in eos qui aliquid in muros deliquerint. Ideo & legum eas partes quibus poenas constituitur adversus eos qui contra leges fecerint sanctiones vocamus.

LL. 15. & 16. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

- 1 Sancti appellatio quam late pateat.
- 2 Ratione nostri etiam portas inter sancta numerent.
- 3 An capite plectendi & qui muros municipiorum violant.

2. Certe est longe latius patere appellationem sancti quam hic accipitur; idque vel ex Trebatio discere possumus, qui apud Macrobius 3. Saturn. tantum ait, interdum idem esse quod sacrum, idemque quod religiosum; interdum aliud, nimirum quod venerabile, incorruptum, inviolatum est; quod & Macrobius confirmat adductis aliquot locis Virgilii. Proprie autem sanctum dicitur, quod vel ab injuria hominum defensum atque munitum est, l. 8. de div. rer. atque hinc Legati jure gentium sancti habentur

tur, l. ult. de legation. item Reges, teste Cic. pro reg. Dejot. & Jure Romanorum tributis plebis sacrosancti. Liv. lib. 2. c. 33. Est. in verb. sacrosanctum; ut quod sanctione quadam confirmatum atque subnixum est. Hinc leges & rogationes dicuntur sanctæ, quod eas impune transgredi non licet. Hinc denique muri quoque sancti, quia speciali sanctione contra violentiam audaciam muniti atque confirmati sunt.

2. Veluti muri & portæ civitatis] L. 1. de div. rer. l. 2. ne quid in loc. sac. Et muros quidem consentiunt omnes esse sanctos. Ceterum de portis dissentire videtur Plutarchus, qui in reis Pausanias (in his qua de Romanorum rebus scripsit) muros ipsos, id est sanctos esse scribit, portas non item, eo quod per eas cada vera efferantur, aliæque immunda per eas importentur atque exportentur. Sed hoc ille longe alio sensu quam nostri, nimirum jus Pontificum ex libris ritualibus secutus. Quippe Romani in designanda urbe, adhibitis more Etrusco certis sacris, muros aratro circumducebant atque ambiabant; ubi vero portæ futuræ erant, id loci non sulcabant; ne quid religionis contraheret, sed aratrum suspendentes portarum spatia relinquere intacta. Consulatur Varro 4. de ling. Lat. cap. 32. Alex. ab Alex. 6. gen. 14. Alcibi. l. 239. §. 5. de verb. sign. Cæli. Rhodig. lib. 14. cap. 5. Hinc moenia jure Pontificio sancta habebantur, portæ non item. At nostri portas ideo inter sanctas numerant, quia eas non magis quam muros violare fas est, aut aliquid in eas delinquere.

Quodammodo] Recte quodammodo; neque enim proprie hæ res divini juris sunt, ut res sacræ & religiosæ, sed propter similitudinem quam cum rebus sacris & religiosis habent, divini juris esse dicuntur; quia scilicet nec ipsæ cujusquam sunt aut proprietate aut usu promiscuo. Fortassis tamen muri quod auspicio & solemnibus sacrificiis signabantur, etiam proprie in rebus divini juris habiti sunt. Vid. Alcibi. d. loc. Riccium vindicari. jur. prænest. cap. 7. qui ob id hunc locum ita distinguendum putat: veluti muri & portæ civitatis, quodammodo divini juris sunt.

Ideo autem muros sanctos] Notario verbi sanctus, Marcianus l. 8. §. 1. de div. rer. 2. sagminibus Legatorum deducit, id est, verbis seu herbis puris quæ Legati populi Romani ferre solebant ne quis eos violaret. Sed quæ hic traditur & Festum auctorem habet in voce sagmina, & Aggenum Ubbicini eodem. ad Frontin. qui utrumque & sanctum &

DE RERUM DIVISIONE, ET ADQUIR. IPSARUM & C. 171

& sagmina faciendo, id est confirmando deducit. A sanguine tamen confectum esse hoc vocabulum, vel ex consuetudine sacrorum solemnium quam Sallust. in Catilin. commemorat, putat D. Horomannus.

Quia poena capituli] Violare muros capitale est: sicuti si quis scalis admotis, aut qualibet alia ratione transcendit. Nam cives Romanos alia quam per portas egredi non licet, cum illud hostile & abominandum sit. Nam & Romuli frater occisus traditur, quod murum transcendere voluerit. Hoc Pompon. l. ult. de div. rer. Marcus autem Tallius 3. de offic. cap. 10. scribit, speciem utilitatis eo animum impulisse Romuli, cui visum erat utilius solum se quam cum altero regnare: Omisit hic, inquit, & pietatem & humanitatem & tamen muri causam opposuit, speciem honestatis neque probabilem neque idoneam.

3. De muris municipiorum dubitatum est, an & qui eos violant poena capituli puniendi sint. Valgo placet non esse; sed hujusmodi homines pro qualitate delicti arbitrio judicis extra ordinem plectendos, Bart. in d. l. ult. Ang. Myns. Schmid. & alii hic. Quæ sententia sane benignior est. Nec obstat quod etiam muri municipiorum sancti sunt, l. 8. §. 2. de div. rer. Neque enim quidquid sanctum est ejus violatio continuo capite plectitur, aut quod capite non plectitur sanctum non est. Satis enim est ad hoc ut sanctum sit, ut ab injuriis hominum defensum, aut sanctione aliqua subnixum sit, d. l. 8. in pr. l. 9. §. 3. eod. Sane in bello si quis vallum transcendat, aut per muros castra ingrediatur capite punitur, l. 3. §. 17. de re milit. vid. Gothofr. Bus. ad d. l. ult. & Autumn. ibid. in confer. jur. Franc. Vixit. Hodie in eos qui muros transgrediuntur non capite sed extraordinaria poena animadvertitur, nisi belli tempus aut alia justa causa diutorem sententiam extorqueat. Gregor. Lopez in gloss. 2. ad l. 15. tit. 28. Part. 3. ADDIT.

Ideo & legum & c. sanctiones vocantur] L. 14. de pen. Cic. in Ferr. 6. nisi legis sanctionem poenamque recitasset. Inconcinna autem est illatio. Fortassis ab effectu ea pars legis quæ poena constituitur poenæ nomine, quæ speciatim sanctio dicitur, quia efficit ut legi sua auctoritas & sanctitas constet, arg. d. l. 9. §. 3. de div. rer. nam generaliter leges ipsas sanctiones vocari satis notum est. Scholasticæ ad illud Horatii: sanctarum incitria legum. Aut participium est a sancio, id est firmatarum, aut sanctarum id est sacrarum ut fœdus sanctum dicitur & sacrum.

DE RERUM DIVISIONE, ET ADQUIR. IPSARUM & C. 171

TEXTUS.

De rebus singulorum.

11. Singulorum autem bonorum multi modi res sunt, quarundam enim rerum dominium nanciscitur jure naturali, quod sicut diximus appellatur jus gentium; quarundam vero jure civili. Commodius est itaque a veteribus jure incipere. Falan est autem veterius esse jus naturale, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit. Civilia autem jura tunc esse ceperunt cum & civitates conditi, & magistratus creati, & leges scribi ceperunt.

COMMENTARIUS.

- 1 Quæ in hac secunda parte hujus tituli potissimum spectanda.
- 2 Perperam in ac disputatione dominio opponi commercium.
- 3 Quid sit dominium, & quam large nonnumquam ea vox uterpetur.
- 4 Modos adquirendi jure gentium domini ad quos commode revocari.

Secunda pars hujus tituli, cui respondet Tit. l. 1. de adquirendo rerum dominio. Hucusque disputatum de differentia & jure earum rerum quæ extra patrimonium sunt. Sequitur nunc alterum rerum genus, earum videlicet quæ sunt in patrimonio; quæ ob id etiam private dicuntur & singulorum proprie. Hæ res variè item distingui possunt. Nam primo quædam sunt universales, quæ vel rationem totius habent ut hereditas universum alicujus patrimonium, vel generis ut fundus homo vestis, quædam singulares, ut hic fundus hic homo hæ vestis. Quædam item corporales sunt quædam incorporales, de quibus tit. seq. Corporalium iterum quædam mobiles aut se moventes quædam immobiles, l. 93. de verb. sign. l. 15. §. 2. de re jud.

1. Duo vero præcipue hic nobis spectanda, id quod in hisce rebus singulorum est, ejusque adquisitio. Quod singuli in his rebus habent, id vel est jus in rem, vel jus ad rem. Jura in rem sunt hæc dominium (tum plenum tum minus plenum quod quasi dominium utile vocat, qualia sunt jus emphyteuticum & superficies) usus, ususfructus, jura prædiorum, jus possessionis, pignus sive hypotheca. Jus ad rem est,

est, quod uno nomine dicitur obligatio sive creditum.

2. Doctissimus Diod. Tuldenus dominio non obligationem sed commercium opponit. Non recte, ut mihi videtur, in disputatione proposita. Nam commercium non est res externa quæ in bonis nostris computatur, quamque adquirere alienare legare heredibus nostris relinquere possumus, qualis est obligatio; sed jus personæ, quod non omnes qui in civitate sunt habent. Est enim jus emendi vendendique, aut potius jus contrahendi cum aliquo, l. 5. de just. & jura l. 24. §. 1. de minorib. Ulp. in frag. tit. 19. §. 4. Unde quæ res vendi, in stipulationem aut conventionem deduci non possunt commercio dicuntur exenta. Denique obligatio quæ ex maleficio oritur etiam hoc pertinet; et eam nolumus esse ex commercio. Nam commercii significatio apud Latinos tam late non patet quam apud Grecos εὐλαβήματα, ut tam εὐλαβήματα εὐλαβία, (involuntaria) quam εὐλαβία (voluntaria) complectatur. Quod ad acquisitionem attinet, ea quoque non est unius modi; aliter enim dominium & jura illa in re à dominio separata adquiruntur, aliter obligatio sive creditum, sicut ex progressu appareret; in quo si forte methodi leges non satis accurate Compositores observarint, id non tam in eis reprehendendum quam seculo condonandum est. De modis adquirendi dominii, ut præcipui & summi in rebus juris, initium faciunt.

3. Dominium est, plena in rem potestas, §. ult. Inst. inf. de usufr. sive jus de re pro arbitratu statuendi, l. 21. C. mand. Hoc item jus à re qua sita proprietates dicitur, l. 7. §. 12. l. 13. de adq. rer. dom. l. 1. §. 1. de adq. poss. quamquam proprietatis vocabulo saepe in jure nostro iudicium proprietatis significatur, à qua scilicet usufructus separatus est, ut passim in tit. de usufr. quod & in voce domini contingit, l. 6. §. ult. C. de ban. que lib. Et videtur Veteres dominium proprie de re corporali dixisse, arg. tit. π. de adq. rer. dom. & tit. π. & C. de rei vind. ut tamen interdum largius eandem vocem accepit de omni jure quo res aliqua nostra est, ut in l. 17. quib. mod. ut. am. l. 10. §. 1. de adq. rer. dom. l. 3. si usufr. per. quo loco & possessio de re incorporali simpliciter prædicatur, quam tamen propriam esse constat rerum corporalium. VINN. Quæ hic de speciebus juris in re disputat auctor doctissimus altioris sunt indignitatis. Non erat quod seorsum inter jura in rem recenseret usum,

usumfructum, jura prædiorum & cum sufficere nominasse reverentem. Deinde nescio qui omitti potuerit jus hereditarium, quod jus in re esse patet ex l. 9. & 19. ff. de hered. pet. l. 1. §. fin. ff. si quadr. paup. l. 6. ff. de religio. Denique jus possessionis non esse jus in re, vel inde patet quod amissa possessione locum non habet actio realis adversus quemcumque possessorem, sed remedium personale unde vi, l. 7. ff. de vi. Vid. Ulr. Huber. præl. ad Inst. lib. 4. tit. 15. §. 2. Zach. Hub. lib. 111. dist. 5. cap. 11. §. 17. seq. HEIN.

Multis modis] Privata nulla sunt natura, ait M. Tull. Cicero lib. 1. de offic. c. 6. sed aut veteri occupatione ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria ut qui bello potiti sunt, Nam propria telluris herum natura nec illium, Nec me, nec quemquam statuit.

ut Horatius lib. 2. sat. 2. v. 129. seq.

4. Modi adquirendi multi sunt & varii, tum jure gentium tum jure civili, qui tamen ad paucos memorie causa commode revocari possunt; & mea quidem sententia qui ex jure gentium sunt commodissime ad duos. Quidquid enim jure gentium nobis acquiritur, id vel facto nostro seu occupatione adquirimus, vel vi & potestate rei nostræ. Occupationes autem species sunt non tantum venatio incupium piscatio, sed etiam specificatio inventio & apprehensio rerum quæ nullius sunt, quæve dominum habere desierunt, quæ ex hostibus capiuntur, postremo etiam quæ transferuntur voluntate domini: quæ omnia suis locis demonstrabimus. Vis ac potestas rei nostræ duplex est: ut quidquid ex re nostra nascitur nostrum sit, ut quemcumque rei nostræ accedunt rem nostram ejusque conditionem sequantur: quorum alteram generali nomine foetura appellari potest, alteram accessio. VINN. Sed parum concinna hæc partitio est. Rectius dixeris modos adquirendi vel originarios esse vel derivativos. Originarie acquiritur res quæ in nullius sunt dominio; & quidem simpliciter, substantiam rei adquiret per OCCUPATIONEM, secundum quid quæ rei nostræ accedunt per ACCESSIONEM. Derivative cum dominio ab uno ad alium transferuntur, idque unice per TRADITIONEM. Ad hos modos reliqui omnes commode referuntur. HEIN.

Quod appellatur jus gentium] Hoc ideo additum, ne quis putet hic intelligi jus naturale quod omnium animantium inter se commune est; sed quod proprium est generis humani, sive ut Gajus l. 1. de adq. rer. dom. id

DE RERUM DIVISIONE, ET ADQUIR. IPSARUM &c.

expliat quod ratione naturali inter omnes homines perhibe observatur. Et perpetuum hoc esse scribit Castrans. In l. 1. de part. ut jus naturale, cum ad actus referatur qui hominum proprii sunt, pro jure gentium seu humano accipitur. Proprium autem hominis est habere in dominio. Quod autem ait Justinianus hoc jus cum ipso genere humano proditum esse, id de jure gentium primævo recte dicitur, de secundario non item: ex quo tamen sunt nonnulli adquirendi modi de quibus hoc titulo agitur. Respexit fortassis Imperator formas rerum acquirendarum præcipuas, quæ ex illo jure antiquo originem habent. Ceterum & de jure gentium secundario, quod pro certo rerum statu naturale est hæc late accipienda seu magaratiōis.

TEXTUS.

De occupatione ferarum.

12. Fera igitur bestia, & volucres & pisces & omnia animalia quæ mari celo & terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint jure gentium statim illius esse incipiunt; quod enim ante nullus est id naturali ratione occupandi conceditur. Nec interest feras bestias & volucres utrum in suo fundo quis capiat an in alieno. Plane qui alienum fundum ingreditur venandi aut aucupandi gratia potest à domino, si is præviderit, prohiberi ne ingreditur. Quidquid autem eorum ceperis eo usque tuum esse intelligitur donec tua custodia coercetur. Cum vero suam evaserit custodiam & in libertatem naturalem esse receperit tuum esse desinit & reverti occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur cum vel oculos suos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo ut difficultis sit ejus persequutio.

LL. 17. & 19. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

- 1 Unde estimandum utrum animal ferum sit an mansuetum.
- 2 Feras etiam in fundo alieno captas fieri captivitas quæ de piscibus capris in alieno stagno.
- 3 Quid si qui fundum alienum contra prohibitionem domini ingressus feram ceperit.
- 4 Venando capta non divitius nostra manere quam quando in potestate nostra sunt.

EX modis rerum jure gentium acquirendarum primus & præcipuus est occupatio,

quæ quam late patet: ex his quæ paulo ante dicta sunt intelligi potest. Hoc loco & quatuor §§. reg. descriptis ex l. 3. & 5. ff. de adq. rer. dom. agitur de ea occupatione quæ ferarum est & venatio in genere appellatur, cujus species sunt venatio quadrupedum, aucupium, piscatio. Igitur fera bestia, quadrupes, volucres, pisces simul atque ab aliquo capta, hoc est apprehensa & in manum ac potestatem alicujus redacta sunt, jure gentium statim illius esse incipiunt. Estque hoc genus acquisitionis longe antiquissimum, ipsaque adeo lege creationis concessum, cap. 1. Genes. & Psal. 8. quæ & Stoicorum sententia est, teste Cicerone 1. offic. cap. 6. Aristotele 1. polit. 4. cum ajunt, omnia quæ in terris gignuntur ad usum hominum naturam creasse.

Fera] Ferum est quidquid à cicure discretum est; nam feras generali nomine appellamus omnia animalia quibus à natura vis insita est libere vagandi in terra, mari, aëre; unde feras à ferendo dicitur volent quod naturali suo impetu ferantur, vel quod conspectu hominum se auferant in solitudines.

1. Neque excludimus quæ hominum commercio mansuetificata sunt. Nam utrum ferum sit animal an mansuetum ex natura estimandum est non ex aussuefactione, §. 1. inf. hoc tit. Ceterum quæ hoc §. traduntur ad occupationem earum ferarum pertinent dumtaxat quæ vel à nullo adhuc occupatae sunt vel occupatae naturalis sui libertatis iterum factæ sunt composites.

Cælo] Cælum pro aëre, ἄνεμος αἰθήρα, γὰρ ἐστὶ τὸ τῶν ἰδιωτῶν ἰδὸς, τὸν οὐρανὸν ἡμᾶς ἀσπάζεται τὸς ἄσπας οὐρανῶν. (Cælum dixit, ex vulgi consuetudine, aërem qui supra nos est usque ad regionem nubium.) Galen. comm. 2. in 2. Hipp. de morb. atque ita etiam sacri scriptores accipiunt, Matth. cap. 6. v. 26. οὐδὲ γὰρ ἐστὶ τὰ περὶ αὐτῶν ἔργα (aspicite volatilia Cæli).

Quod ante nullius est] Modò ita affectum sit ut alicujus esse possit; nam res quæ commercio hominum exenta sunt ut res divini juris & publicæ, satis constat ad hanc regulam non pertinere, quamvis & ipse nullius sint; nec item res hereditarias, quas quamdiu hereditas adita non est inter res nullius numerat Gajus l. 2. de div. rer. nam hereditas intertem pro domino est, l. 31. §. 1. de hered. inst. Simile axiomaticum propositum est illud Quintilianus declam. 13. Quod civitatis nascitur, inditum pro ænium est. Plaut. in Rudent. act. 4. scen. 3. Mium, quod reus atque hami nati sunt.

2. Nec interest utrum in suo fundo] Ampli-

plificatio regulæ postz; nimirum etiam in fundo alieno capta capientium fieri. Cujus amplificatio ratio non est obscura; nam quocumque loco feræ sunt dummodo sint in libertate naturali, nullius sunt & consequenter transiunt in jus occupantis. Igitur & pisces qui in alieno stagno sunt, & feræ quæ in sylvis circumseptis vagantur; quoniam reliquæ sunt in naturali libertate, l. 3. §. 14. de adq. poss. Scio hoc displicere Horomanno & Wesembcio. Sed profecto si pisces isti aut feræ à nobis non possidentur, quod discrete scribit Paul. d. loc. consequens est nec eorum nos dominos esse; cum hæc sit natura omnium ferarum ut dominium earum nec adquiri sine possessione possit nec retineri, quod vel unicus hic §. eos docere debuerat. Concedo tamen spectandam hic esse locorum consuetudinem, ut & in aliis plerisque quæ hucus argumenti sunt. Et nostro seculo contraria opinio prævaluit, ut & feræ sylvis privatis & pisces stagnis inclusi, ut possideri ita & in dominio esse credantur. Grot. 1. de jur. belli. & pac. D. Tulden. hic cap. 17. quod Veteres rum demum admittebant si feræ vivatiles, pisces piscinis inclusi forent, d. l. 3. §. 14.

3. Potest à domino prohiberi] Quid si nihilominus ingressus sit & feram ceperit? Vulgo placet adhuc eam occupantis feris & recte. Nam id regulæ superiori omnino consequens est. Non obstat quod in prædio alieno domino invito venari non licet, l. 16. de ven. rust. præd. nam prohibitio ista conditionem animalis mutare non potest, neque efficere ut id quod captum est fiat prohibentis; alioqui non nudam prohibenti actionem injuriam præteret, l. 13. §. ult. de injur. sed rei vindicationem & conditionem furtivam. Vid. Christ. vol. 5. dec. 84. n. 17. & seqq. Excepit Angel. & post eum Cangujuncula, nisi fructus fundi in venatione, aucupio, & piscatione consistat, arg. l. 26. de usur. l. 9. §. 1. de usufr. Sed enim si illa vere in fructu sunt, ne inscio quidem domino aut ingressum non prohibente capta capientis fient. A communi sententia recedunt Cujac. 4. ob. 2. Wesemb. ad Schneid. D. Tuld. hic cap. 16. Vinn. Quorum opinio l. 17. tit. 28. Part. 3. confirmata est, quæ cavetur feras prohibere fundi domino captas, non capientis sed domino adquiri. ADDIT.

4. Etenim tuam esse intelligitur & c. Alia superioris propositionis amplificatio, videlicet eam etiam procedere etsi fera jam ante capta sit ab aliquo, se ca in naturalem libertatem postea se receperit. Nam quod venando per

occupationem acquisitum est, id non diutius nostrum manere quam quandiu in potestate nostra & custodia sit; ubi vero evaserit custodiam nostram & in laxitate naturalem se receperit desinere nostrum esse, & rursum fieri occupantis, l. 3. §. 2. de adq. rer. dom. Christ. d. dec. 83. n. 20. Quod ut singulare notandum est in dominio ferarum; nam aliarum rerum dominium etiam amissa possessione retinetur. Ceterum nequis hic iudicii æquitate desideret, placuit ita demum custodiam prioris domini animal semel captum effugisse & libertatem naturalem recipere videri, si sic evaserit ut vel oculos domini effugerit; vel sit quidem adhuc in conspectu ejus, sed ita ut sine summa difficultate id persequi non posse videatur, d. l. 5. in pr. l. 44. de adq. rer. dom. Quæ in re quod bonus iudex arbitrabitur sequendum est. Glos. Porc. Canticula hic.

TEXTUS.

De vulneratione.

13. Illud questum est, an si fera bestia ita vulnerata sit ut capi possit statim tua esse intelligatur. Et quibusdam placuit statim esse tuam, & eorumque tuam videri donec eam persequaris; quod si desieris persequi desinere tuam esse & rursus fieri occupantis. Alii vero putaverunt non aliter tuam esse quam si eam ceperis. Sed posteriorem sententiam nos confirmamus, quod multa accidere solent ut eam non capias.

L. 22. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1. Non vulneranti sed capienti feram concedit. 2. Cur cum fera statim ut capta est nostra fiat, non statim quoque ut evasit esse nostra esse desinat.

1. **F**eræ ex prudentibus, interque eos Trebatius, qui existimabant feram bestiam si ita à venatore vulnerata sit ut capi posse videatur statim venatoris esse, ejusque tandiu manere donec illam persequatur. Verum hæc sententia ideo displicuit, quia ex superiore regula non vulneranti & persequenti sed occupanti & capienti fera conceditur. Non potest autem dici feram cepisse qui spem tantum capiendi habet, cum multa accidere possint quæ spem istam frustrentur, & ut fera evadat, l. 5. §. 1. de adq. rer. dom.

Ἡλλά μεταξὺ πόλις κίλιος καὶ χιλιόσκιον, (Mal-

(Multa insunt inter Cælicum supremæque labra) ut est in adagio Græco. Atque ita iudicatum refert Christ. vol. 5. dec. 84. n. 23. Grotius lib. 2. man. cap. 4. notat eum qui feram ab alio excitata capiat, quamvis dominus feræ fiat, tamen ut inciviter venantem eo nomine à ministris Saluarii multari posse. Vinn. Patrio Hisp. Jure fera ab altero excitata, interea dum is eam persequitur capi ab alio prohibetur, quod si illam persequi desierit jam primo occupanti credit, l. 16. tit. 4. lib. 3. for. legg. ADDIT.

2. Cur vero, inquis, cum fera statim ut capta est nostra fiat, non & ex contrario semel capta si postea elapsa sit statim nostra esse desinit, sed tandiu nostra manet quamdiu eam cum spe recuperandi persequimur? Nimirum quia possessio ex qua domini rerum jure gentium ceperunt, facilius retinetur quam acquiritur. Ad acquisitionem non sufficit rem esse in conspectu nostro, ejusque apprehendendi animus & spem aliquam habere; sed manu occupanda & corporaliter apprehendenda est, l. 1. §. 1. l. 3. §. 1. de adq. vel amit. poss. At retinendam autem possessionem semel quasitam solus animus sufficit, d. l. 1. §. 11. l. 1. §. 5. unde vis eumque animum tandiu retinere intelligimus quamdiu non vana spes est fore ut mox rem recuperemus; at spe recuperandi sublata jam animum quoque possidendi nos desinere habere; fac. d. l. 44. de adq. rer. dom. l. 6. §. ult. de adq. poss. Vinn. Jure Hispan. venatio atque piscatio omnibus promissa est; modus tamen prescriptus, ut certis anni temporibus piscari ac venari non liceat; quædam præterea instrumenta venatoria prohibita sunt, ut ex tit. 8. lib. 7. Retapil. et ex recentiori Pragmat. lata die 13. Mart. ann. 1769. apparet. ADDIT. Jure Canonico venatione interdictum Clericis, ne hæc voluptate capti cultum Divinum deserant, cap. 1. & 2. de Cler. venat. Sunt qui existimant non posse citra injuriam lege civilis aliquos impediri ne feras capiant captasque suas faciant, quoniam jure nature quod immutabile est hoc omnibus licet, Thraz. de Nobil. cap. 37. n. 144. Menoch. cons. 298. n. 18. lib. 3. & alii relati apud Fachin. lib. 1. contr. c. 4. Sed verius est posse. Est enim hoc jus ex jure nature permittente, non præcipiente ut semper liceat. Jam vero etsi lex civilis nihil potest præcipere quod jus nature prohibet, aut prohibere quod præcipit; potest tamen libertatem naturalem circumscribere, & vetare quod na-

turaliter licebat, & acque etiam ipsum dominium naturaliter adquirendum vi sua antevertere, D. Grot. 2. de jur. bell. c. 2. n. 5. & c. 3. n. 5. Quæ etiam est sententia Covarr. in rivell. cap. peccatum de reg. jur. in 6. p. 2. §. 8. cum ait, feras, volucres, & cetera animalia jure nature non esse communia positive & affirmative quia omnium propria sunt, sed negative quia nullius sunt, & jure naturali nulli sunt applicata; ac proinde posse lege humana ut potius quam alteri ex juxta causa concedi. Non obstat igitur quod sæpe in libris nostris legitur jure nature liberum esse talia animalia venari. Hoc enim verum est quamdiu nulla lex civilis intercedit, sicut leges Romanæ res multas reliquerunt in suo primo statu, de quibus alij gentes aliud constituerunt. Cum autem lex civilis aliud constituit, eam observari debere vis ipsum nature dicitur. Unde autem natura est tanta juris quondam communis mutatio? Opina partim ex consensu populorum qui jus venandi in compensationem curarum & gubernationis Principibus ultro reliquerunt; partim ut ipsorum Principum potestate, & visum sit publice expedire ut communi licentia stenum injiceretur, tum ne tota tandem species multitudine venatorum vastaretur, tum ne rustici & plebei homines studio venationis ab agricultura aut officijs avocarentur, & fortassis ob alias etiam causas quos videre est apud Wesemb. parat. de adq. rer. dom. Covarr. præd. loc. Fachin. 1. contr. 1. Gatd. Tusc. præd. concl. jur. vol. 8. lit. V. concl. 41. Christ. vol. 5. dec. 84. n. 37. & seqq. Iud scire opere precium est, non acquisitionis animalis capti sed juri venandi derogatum esse. Unde si homo plebeus aut quis alius cui jus venandi non est feram venando cepit, licet incidat in poenam legis constitutam, fera tamen nihilominus illius fit; & quamvis capta jubeatur capienti auferri, id non tamen ideo fit quia capientis facta non est, sed quasi ab indigno & peccati causa; eadem plane ratione qua laquei, jacula, & aliaque id genus instrumenta venatoria hujusmodi hominibus adiuntur. Quod si vero id quod jure captum est alteri bona fide accipiens ex justa causa tradidit sit, admittit hoc et non poterit requere enim furtivum aut alienum possidet ut ab eo vindicari queat; neque dici potest poenam legis mereri qui nihil deliquit, nihil contra legem facit, l. 131. de verb. sign. Hinc non absimile est quod de fera in alieno fundo capta diximus eam capientis fieri- quam-

quamvis in alieno venari invito domino non liceat. Ita Covarr. d. 5. n. 5. §. 109. Christian. ubi sup. n. 17. Gudelin. 2. de jur. nov. cap. 2. Zypae. notab. jur. Belg. de jur. sic. & tit. de venat. ferar.

TEXTVS.

De apibus.

14. Apum quoque fera natura est. Itaque apes que in arbore tua conseruerint antequam à te alveo includantur non magis tua intelliguntur esse quam volucres que in arbore tua nidam fecerint; ideoque si alius eas incluserit in earum domibus erit. Favos quoque si quos effecerint eximere quilibet potest. Plani integra re si prouideris ingredientem fundum tuum poteris cum iure prohibere ne ingrediatur. Examine quoque quod ex alveo tuo euoluerit eosque intelligitur esse tuum donec in conspectu tuo est; alioquin occupantis fit.

L. 22. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1 Omnes apes naturè feræ esse, non eas robas quas rei rusticæ scriptores siluestres appellant.

Quia de quibusdam animantibus dubitari poterat siue naturè fera an mansuetæ, & maxime de apibus, pavonibus, columbis, gallinis & anseribus: non abs re est quod hoc loco nos Imp. docet, quo numero hæc animantia habenda sint. Ambigi primo potest de apibus, quippe quæ numero tantæ nec mansueti generis esse nec feri lib. 11. nat. hist. cap. 5. Varro lib. 3. de re rust. cap. 16. in feræ & cicures distinguit, ut & Columell. lib. 9. Plinius d. lib. cap. 18. in rusticæ siue siluestres, & urbanas. Ulpianus noster l. 8. §. 1. fam. etc. videri potest hæc animalcula in genere mansuetorum habuisse, cum ex sententia Pomponii responderet apes venire in iudicium familiæ circisunde, quia in patrimonio nostro sunt; eumque qui eas amouet furum committere. Paulus vero in eadem re feras à cicuribus manifeste separat l. 26. de fur.

1. Sed dubitandum non est quin, ut diuersa sint apum genera, una tamen omnium sit natura, eaque fera & sylvestris ut hic ex Cajo l. 5. §. 2. de adq. rer. dom. refert Justinianus. Libere enim omnes feruntur &

vagantur, nec raro locum & alvearia mutant etiam quæ aliquamdiu incluse fuerunt. Quamobrem licet Plinio videantur mixti esse generis, fortasse quod in iis quod observari quod naturam animalis mansueti sapiat; tamen in hoc quod tractamus argumento pro feris omnino habenda sunt. Nec obstat distinctio illa Varronis: nam cum feras à cicuribus non naturè sed loco separet, feras appellans quæ pascantur in silvestribus cicures que in locis cultis habentur, satis apparet cicures cum vocare non quæ natura tales sunt sed cura hominum, cicuresque dixisse pro cicuratis, vel potius pro iis que minus feræ sunt & occupare facilius mansueti quam silvestres. Ulpianus autem d. l. 8. §. 1. fam. etc. aperte loquitur de apibus que alveariis jam incluse ita ususfactæ sunt ut ibi euoluerint eundem locum sponte repetant; neque aliis apibus feræ opponit Paul. d. l. 26. de fur. Constat autem animalia quæ ex feris mansuetæ atque ita condocæfacta sunt ut ex consuetudine abeat & redeant, cum de occupatione eorum queritur, quamdiu illam consuetudinem retinent eodem jure quo mansuetæ haberi. Unde rectè argumentatur Quintilianus de clam. 13. apes que ex alveariis nostris mane euolant & vesperi domum sua sponte revolant finemque laboris sui sole metiuntur nostras esse. Vixit. Rectè dicuntur apes feræ naturæ esse, si bipartita in diuisio in bestias feræ & mansuetas. At si easdem diuisis in feras, mansuetas, & mansuetas (ut si sepe minus ejusdemque rei modo bipartita modo tripartita diuisio est, de quo vid. Cl. Noodt probab. lib. 1. cap. 12.) tum apes non sunt feræ naturæ que alveariis incluse euolant & revolant. Et ita intelligendæ videtur Ulpianus in l. 8. §. 1. fam. etc. Manifestum autem inter animalia fera & mansuetas discernim esse. Illa sunt nullius & hinc fiunt occupantis; hæc sunt in dominio & intercepta factiva sunt, quamdiu animum redeundi non deposuerunt, l. 5. §. 6. & l. 45. ff. de adq. rer. dom. Hinc facile patet cur §. 16. infr. hoc. tit. negetur anserum & gallinarum feram naturam esse cum tamen denur & anseris gallinæque feræ naturæ. Henr.

Antequam à te alveo includantur.] Nam inclusio hæc occupatio est. Quæ autem animalia semel nostra facta sunt occupatione, ea tandiu nostra manent neque ab alio occupari possunt quamdiu possessionem eorum retinentur, fac. l. 5. §. 16. de adq. post. Alveus autem est *χρησθησάντων* (mansuetus), pura

DE RERUM DIVISIONE, ET ADQUIR. IPSARUM &c. 177

ex vimine aut inani cortice; favum ipse sibi apes conserunt. Varr. de re rust. cap. 16. Volucres que in arbore tua nidam fecerint.] Quemadmodum volucrum in arbore tua nidificatio non efficit ut aut ipsæ aut pulli earum tui censi debeant, ita nec apum in arbore tua concessio facit ut aut ipsæ aut novæ earum soboles tua efficiatur; sed ex regula superiore primo occupanti aut includenti cedunt. Quæ apum, eadem & favorum ratio est, si quos forte in arbore tua fecerint antequam à te alveis includerentur, d. l. 26. de fur.

Poteris cum iure prohibere.] Eodem jure quo prohibere potes, si prouideris, cum qui venandi causa tuum fundum vult ingredi, aduersus quem si te invito ingressus fuerit proclita tibi est actio injuriarum, ut non multo ante didicimus ex l. 13. §. ult. de injur.

Examen.] Non solum vetus, sed & novum apum recens naturam quæ ex alveariis ad novam sedes querendas à parentibus extrusæ sunt; nam si parentum fera natura est necesse est & feram naturam esse proles.

TEXTVS.

De pavonibus & columbis & ceteris animalibus mansuetis.

15. Pavonum quoque & columbarum fera natura est. Nec ad rem pertinet quod ex consuetudine volare & revolare solent; nam & apes idem faciunt quarum constat feram esse naturam. Cervos quoque quidam ita mansuetos habent ut in silvæ ire & redire solent, quorum & ipsorum feram esse naturam nemo negat. In iis autem animalibus que ex consuetudine abire & redire solent talis regula conprobata est, ut eoque tua esse intelligantur donec animum revertendi habeant; nam si revertendi animum habere desiderint etiam tua esse desinunt & sunt occupantium. Revertendi autem animum videtur desinere habere tunc cum revertendi consuetudinem deseruerint.

L. 23. tit. 28. Part. 3.

COMMENTARIUS.

1 Pavones & columbas pro feris haberi, et in omni aq. feram naturam habent.

Secundo eadem dubitandi ratio esse poterat de pavonibus & columbis saltem quoad Tom. I.

quædam genera. Nam pavones quod atmet, distinguunt rei rusticæ Scriptores pavones agrestes qui insulas & nemorosa loca captant ab iis qui in prædiis gregatim pascuntur. Varro lib. 3. de re rust. & Columell. lib. 8. c. 11. Idem Varro d. lib. cap. 7. duo item esse genera columbarum tradit, unum agreste quod habetur in turribus & columbinis villæ unde & columba appellata sint, alterum clementius quod cibo domestico contentum intra limina januæ pasci solet. Porro ex domesticarum & agrestium conjunctione nasci & miscellum tertium genus.

1. Sed idem hic responderi potest quod de apibus, esse quædam genera pavonum itemque columbarum que natura minus fera sunt minusque ab hominum consuetudine abhorrent; pro feris tamen omnes haberi, quia facile volant & cum agrestibus esse conjungunt. Certe Gajus l. 4. §. 1. de adq. rer. dom. & Justinianus hic simpliciter hæc avæ earum numero agrestibus que sunt generis feræ; quod & D. Grot. facti lib. 2. man. cap. 4. Meminit quidem & pavonis mansueti Pompon. l. 37. de fur. sed opinor mansuetum dixisse pro mansuetis. Illud nullum argumentum esse mansuetudinis quod hæc avæ ex consuetudine volare & revolare solent. Nam & apes idem faciunt, & cervos quorum utique fera natura est ita assueti posse constat ut aliquando abeat & sponte sua redeant domum. Exemplum cervi ita instituti à Tyrrehi liberis & præsertim Silvia filia habemus apud Virgilianæ lib. 7. Æneid. & alterum cervi Sertorianæ apud Plutarch. in Sertor. Fatendum tamen esse pavonibus & columbis hoc propemodum naturale esse, & placidis in eo similiores quam feris.

In iis autem animalibus.] Natura videlicet feris, sed hæc prædicta, non ita ut non in re & consuetudine mansuetis (mansuetis, & ex feritate in lenitatem traductis) de quibus hic sermo est; nam in placidis quoque hominum consuetudine naturæ gaudent obtinet quod ex Gajo traditur §. 109.

Cum revertendi consuetudinem deseruerint.] Quod ex circumstantiis iudex æstimabit. Neque enim placet eorum sententia qui desuetudinem revertendi ex una & altera intermissione metiuntur, quamvis id perique faciant teste D. Wesemb. hic. Enimvero siquis verb. gr. columbas que ex columbariis nostris avolant & revolant veritatis rationibus averterit ita ut animum revertendi abiciant, dubium non est quin in factum actione tena-